

ex hypotesi scitur, unde locus stellæ A non ignorabitur. Arcum uerò AF iam notum ex quadrante, si proieceris, reliquum habebis latitudinis arcum AL non ignotum, quod intendebamus. Alios figurationum modos, quoniam quidem propter dicta faciles, missos facio. Tandem correlarium, si libet, inferas magnum.

Correlarium.

Si uniuersæ stellæ scitas habuerint inter se distantias, duæ uerò duntaxat longitudine & latitudine constiterint, reliquas cunctas quâtum ab Arietis distent initio, quantumq; ab ecliptica uersus alterum remoueantur polorum, cognitæ fieri necesse est.

Libri septimi Epitomatis finis.

CL. PTOLEMAEI

ALEXANDRINI, IOAN. DE MONTE REGIO, STELLARUM fixarum descriptionem ampliores profequitur. Item uarietatem habitudinum stellarum ad luminaria & Planetas: Horizontem quoq; & Meridianum, Declinationem item earundem, cum passione quadam ipsis à Sole adducta, utili serie luculentissimè absoluit,

Libri VIII.

Viam Lacteam per stellas quæ in ea sunt notabiliores describere.

Propositio I.



Hæc cœli zonâ diuersi coloris, & inæqualis latitudinis sensui apparens Lactea uocata est, quæ lactis colorē ut plurimum imitari uideatur. Quæ quamuis totum firmamentum ambiat, habet tamen duos ramos à se diuisos. Quorum quidem uni apud imaginem Laris initium est, Reliquus uerò apud stellas gallinæ sumit originem. Zone autem principali initium pro libito demus apud Centaurum. Stella autem quæ est in iunctura pedis dextri posterioris, sita est in ipsa uia lactea parum recedens à margine aut circūferentia

eius septentrionali. Quæ uerò in genu sinistro anteriori in medio huius uicæ cernitur. Ea autem quæ circa posteriores pedes pars est spissior siue lucidior, parum apparet. Deinde margo septentrionalis procedit ad stellam posteriorem in dorso Lupi. Verum ab ea uersus meridiem gradu uno & dimidio remouetur. Meridionalis autem Margo per septentrionalem duarum, quæ sunt Ignis, & per meridionalē duarum quæ sunt in basi Laris incedit. Pars denique septentrionalis eius tres spōdiles postremas Scorpionis includit. Meridionalis uerò margo per eam quæ in calcaneo pedis dextri anterioris Sagittarij est incedit, & per eius stellam quæ in manu eius